

sent, statim spiritus conturbavit illum, scilicet puerum; & elisus in terram volubatur spumans. Permittit Saluator, vt per aliquod tempus tot molestias patiatur puer. Tandem sermonem interponit cum patre: Si potes credere, omnia possibilia sunt credentis. Et tunc patre respondente, ac fidem suam protestante, sanat Iesus puerum. Ad quid tot moras in hoc miraculo connectit Dominus, ex quibus aliquis sinistrè quendam impotentiam in eo suspicari poterat, vt notauit Chrysologus ferm. 51. Tarditatem, ait, curae non cause deputans, scilicet pater, sed curandi impossibilitatem Magistri imperitiam assignans. Cur ergo sic cunctatur Dominus, cum aliis sit in nostrum remedium velocissimus? In hoc euentu ex vno latere vrgebat auctoritas Christi ad miraculum operandum, vt cunctis diuina eius potestas innotesceret: ex altero autem apparebat, quod apertum os, & restituta lingua, valde frequenter multorum malorum fit origo. Cunctatur ergo Dominus, permittitque quod ille spiritus nequam conturbet puerum, in terramque illidat, per eamque volitari eum spumantem faciat: sciebat enim, quod aliquando vehementius torquet vna mala lingua animum, quam vnus malignus spiritus cruciat corpus, hancque de causa moras ponit, cum tantorum malorum vna lingua sit paratum instrumentum. Eusebius citatus à D. Ioanne Damasceno lib. 1. Paral. cap. 79. Equum, ait, duriori ceruice frorum domat, malam autem linguam nullus domare potest: truculentia fera facile cicuratur: mala autem lingua leniri nequit: nihil in mundo lingua mala peius est; nihil non mali per linguam oriuntur.

Chrysolog.

Plus torquet animam vna mala lingua, quam diabolus corpus.

Euseb. Nil peius mala lingua.

75. Iacobi 3.

Iacobi 4.

Lyranus.

Tota demonum malitia in vna lingua armatur.

Gilbert.

Ait Iacobus in sua Canonica 3. num. 6. Lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quae maculat totum corpus, & inflammam rotam natiuitatis nostrae inflammata à gehenna. Postea verò de aliis malis, ac vitiis pertractans, illorum causam concupiscentiam assignat. Vnde bella, & lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentis vestris, quae militant in membris vestris? cap. 4. num. 11. Inflammatur homo ad lites, contentiones, ac rixas, vt explicat Lyranus. Inflammat & lingua ad turpilochium, ac ad maledicentiam. Sed vnde incenditur homo ad contentiones, & rixas? A concupiscentis vestris, quae militant in membris vestris. Incenditur & lingua, sed non exprimitur à Iacobo succensa à concupiscentiis nostris, vt in aliis vitiis dixerat, sed inflammata à gehenna, nempe ab infernali incendio, vt pote demonum domicilio. Tanta est enim iniqua lingua turpitudine, vt non ab humana concupiscentia, sed ab incendio gehennali, ac tota malignitate demonum, videatur inflammata: quasi ad quam venenosa se lingua diffundit prauitatem concupiscentia humana non sufficiat, nisi totus demonum adsit concursus. Gilbertus Abbas in Appendice ad Canticum S. Bernardi ferm. 24. Quid lingua nequam cordi tuo calem adhibes flammam; sufficit illi flamma sua. Ignem hunc, quem euomis, hauris de gehenna: inde incipit, & inde rapit: Lingua, inquit, inflammata à gehenna. Male succendit, qui succidit vna, quia dissidijs verba scintillat: & flammatalis de inferis est.

Marc. 7. n. 35. Et statim apertae sunt aures eius, & solum est vinculum linguae eius, & loquebatur rectè.

VERSIONES.

Syriacus.

Atque in illa hora adaper-tae sunt eius auriculae, solumque est vinculum linguae ipsius, & locutus est facillimè.

EXPOSITIO V.



Statim, prolato diuino verbo, illico secuta est hominis sanitas. Victor Antiochenus, Vna cum verbo miraculum in opus abiit. Ipse dixit, & facta sunt. Aperta sunt aures eius. Metaphoricus est sermo; videbantur enim claustra, ac obstructa, veluti clauis carnis, id est prauis humoribus. Et solum est vinculum linguae eius; quia balbutiendo, veluti vinculis lingua tenebatur. Et loquebatur rectè; hoc est expedite, ac promptè, sine vlla nempe balbatione. Syriacus habet, facillimè. Hinc firmatur, vt bene inquit Caietanus, Maldonatus, quod non erat absolute mutus, sed impeditus in modo loquendi. Ex quo etiam consequenter deducitur, quod non erat surdus à natiuitate; nam tales surdi, neque rectè, neque non rectè sciunt aliquid loqui.

76.

Antioch.

Syriacus, Caietan, Maldon.

77.

Antioch.

Beda.

Ex longo silentio bona locutio, Ecclesiast. 34.

Hieron.

QUESTIO X.

Quare dicitur, quod prius apertae fuerint aures, quam solum vinculum linguae?

ERTVM est, quod in re totum simul est operatum, aures apertae sunt, & vinculum linguae solum: tamen quaestionem excitamus de stylo Euangelista. Cur primò ait, aures apertae fuisse, & linguae impedimentum ablatum, quam potius è contra?

Respondet primò Simon Cassianus lib. 1. c. 25. Sic quippe prophetatum erat, quod aperturus esset aures surdorum, & linguas mutorum facturus disertas. Tunc verò aures surdorum patebunt; tunc saluet, sicut cernus, claudus; & aperta erit lingua mutorum, Iai. 35. num. 5. Ac proinde eandem methodum, quam tenet Propheta in factis recensendis, ac miraculis Christi, tenet etiam Euangelista, vt vtriusque paginae appareat cohaerentia, & quod illius facta, quae praenuntiauit Propheta, scribat & Euangelista.

78.

Ratio dissimulata.

79.

Cassian. Iai. 35. Coherentia noni. & vtriusque testamenti.

Secun

80.

Hugo. Prius homo audit, & postea respondet. Prou. 18. Hebr. Eccles. 11.

Secundò Hugo; Prius audit homo, postea loquitur; sic enim faciendum est; qui enim prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat, Prouerb. 18. num. 13. Qui prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum. Hebraicus habet: Reddens verbum, antequam audiat, stultitia est ei, & ignominia. Salomonem secutus Siracides Ecclesiastic. 11. num. 8. Priusquam audias, ne respondeas verbum, & in medio sermonem ne adieceris.

81.

Promptior sit homo ad audiendum, quam ad loquendum. Prou. 5.

Tertio. Prius dicuntur aures apertae, & postea vinculum linguae solum, vt significetur, quod prior sit homo ad audiendum, quam ad loquendum. Hinc Sapiens admonet: Fili mi, attende ad sapientiam meam, & prudentia mea inclina aures tuas, vt custodias cogitationes, & disciplinam labia tua custodiant. Prouerb. 5. num. 1. Exhortatur Sapiens, vt audiamus diuinam sapientiam, ac audita silentio teneamus, & custodiamus; nam audiens sit sciens, & tacens sit magis intelligens, dum audita profundè ruminat, & considerat. Salazar, Labia tua custodiant, vel contineant, ait, vt scilicet ea, quae audieris à me, ita optime capias, & de cetero silentas; nam silentium discipuli disciplina custodia est. Ex quo Pythagoras suis discipulis silentium quinquennale indicabat, vt tradunt D. Ambros. lib. 11. Officior, cap. 10. D. Chrysolomus homil. 1. in Epistol. ad Timoth. Vnde Christianus admonet. D. Hieronymus in cap. 3. Ecclesiastes: Discamus igitur, ait, ab eo nos prius non loqui, vt postea ad loquendum ora referemus. Silentium certo tempore, & ad praecceptoris eloquia pandamus. Nil nobis videtur rectum esse, nisi quod discimus, vt post multum silentium de discipulis efficiamur magistri.

Salazar.

Silentium discipuli, disciplina magistri. Ambros. Chrysol. Hieron.

81.

Psal. 48.

Ait Regius Vates Psalm. 48. num. 5. Inclina bo in parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam. Cur timeo in die mala: Psalm. 48. num. 5. Primò ait, quod autem suam extendit ad audiendum in parabolam, hoc est per aenigmata, vt inquit D. Augustinus, & Remigius. Quandiu enim in hac vita per fidem ambulamus, per aenigma intelligimus. Deinde ait, quod aperiet os suum. Tandem subinfert: Non timeo à die malo. Qui enim, quae à Deo audit, loquitur, securus est ab omni nocumento, & malo. D. Augustinus, Inclinemus, inquit, in parabolam aurem nostram, & sic aperiemus in psalterio propositionem nostram. Audiamus, quod discimus: faciamus, quod praecipimus, & qui dicit: Cur timeo in die mala. Ecce quando vtilitas, si homo loquatur ea, quae ex Dei afflatu audit.

83.

Psal. 33.

Psal. 33 num. 12. Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos. Et subinfert: Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolium. Vocat nos Psalmiographus, nempe Christianos, vt appetas habeamus aures, vt ait D. Augustinus, ad audiendum ea, quae Dei sunt; & vt silentio suppressa habeamus labia ad loquendum. Vt inde instruiamur, quod homo promptus sit ad audiendum, & valde cautus ad loquendum. Redeo ad proximè citatum Iai. locum 35. num. 5. Tunc aures surdorum patebunt, & aperta erit lingua mutorum. Aures inquit in plurali, lingua verò in singulari. Sed si multi erant muti sanandi, cur non dicuntur linguae, sicut de auribus dictum est: Aures surdorum patebunt. Cur lingua in singulari: Aperta erit lingua mutorum. Velociores sint homines ad audiendum, quam ad loquendum Multas habeant aures, vt percipiant; vnam verò linguam, vt patet, ac modeste loquantur.

Promptus sit homo ad audiendum, & cautus ad loquendum.

Iai. 35.

Sylueira in Euang. Tom. IV.

Marc. 7. n. 36. Et praecipit illis, ne cui dicerent: Quòd autem eis praecipiebat; tantò magis plus praedicabant.

VERSIONES.

Syriacus.

Et admonuit eos, ne id cuiquam dicerent.

Vatablus.

Ac interdixit eis, ne cui dicerent. Sed quò magis illè eis interdixerat, eò magis ac amplius praedicabant.

Theophylactus. Hoc amplius praedicabant.

EXPOSITIO VI.



NARRATO miraculo illius secutum effectum, tam ex parte Christi, quam aliorum, scribit Euangelista. Ex parte Christi: Praecipit illis, tam scilicet homini sanato, quam iis, qui cum adduxerant, ac astabant. Praecepta aequaliter in omnes proferenda. Ne cui dicerent, editum scilicet miraculum. Operibus factis frequenter Iesus silentium imperabat, vt dicam quast sequenti. Quanto autem eis praecipiebat, ne cui dicerent, sed vt tacerent. Tanto magis plus, ad exaggerandum, quanta vehementia, ac feruore restitutam hominis sanitatem proclamabant. Apponitur illud plus, hoc est magis amplius, quam si ille non prohibuisset, praedicabant. D. Hieronymus, Civitas in monte posita, vndeque circumspicitur, abscondi non potest, & humilitas semper praecedat gloriam. Christus Dominus tunc maior apparet hominibus, cum magis se deiecit, ac humiliat. Hugo, Quanto enim minus, ait, quis appetit gloriam, tanto magis habet; & quanto magis appetit, tanto magis fugit illa. Vt de pecunia dicitur Ecclesiast. 11. num. 10. Si securus fueris, non apprehendes; & non effugies, si praecurreris.

84.

Hieron.

Hugo.

Eccles. 11.

QUESTIO XI.

Quare Christus Dominus vetat, miraculum divulgari, cum ipse sciret ab hominibus divulgandum? Et ad quid apprehendit hominem seorsum, cum opus esset proclamandum?

MULTOTIES eximiae humilitatis Magister Dominus Iesus factis miraculis silentium imperauit. Vt sanato Leproso Matth. 8. num. 4. Marc. 1. num. 44. Sic & duobus caecis sanatis: Comminatus est illis Iesus dicens: Videte, ne quis sciat, Matth. 9. num. 30. At hoc mandato non obstante, tam Leprosus Marc. 1. num. 44. quam caeci ceperunt Domini miracula praedicare, & per totam regionem diffamare; sicut & in praesenti isti homines de surdo, & muto sanato, qui silentium sibi impositum minime obseruarunt. Tamen in hoc non peccarunt; nam illud non fuit proprie praecceptum ad culpam obligans; sed veluti vrbannitas quaedam, ac quoddam modestiae indicium, ac apertum testimonium, quòd ipse vana homi-

85.

Matth. 8.

Marc. 1.

Matth. 9.

Marc. 1.

Silentij praecceptum non obligabat ad culpam.



num gloria erat valde alienus, ut explicauit tom. 2. cap. 2. q. 12. num. 8. eodémque cap. quæst. 10. Com- mendationis huius silentij multas dedi rationes, quæ hic adaptari possunt. & ibi videndæ sunt.

86. Quæstio præfens inquit: Cur Dominus his hominibus præcipiebat, vt miraculosum opus tacerent, cum ipse optimè prænosceret, eos tanto magis prædicaturos, quanto magis silentium commendabat? Et ad quid ad miraculum perpetrandum apprehendit hominem seorsum à turba, cum ipse sciret, opus esse diuulgandum?

87. Respondent primò Eusebius Gallicanus homil. in Domin. 12. post Pentecosten, Beda, Haymon, Carthusianus. Quod præcepit, miraculum taceri, vt ostenderet se à iactantia, ac vana hominum gloria valde alienum; quamvis enim ipse optimè sciret, quod homines miraculum essent prædicaturi; ipse tamen fecit ob sui modestiam, quantum in se erat, ad illud occultandum, ac ad omnem ostentationem fugiendum: & ad opus virtutis nil amplius desideratur, quam quantum in nobis est, exhibeamus.

88. Secundò Beda, Nobis, inquit, dare exemplum voluit, vt virtutum opera facientes, vitium iactantia, gloriamque vitium humanam, ne in nobis nostra actio per inanem vulgi fauorem superna retributionis munere priuetur: & tamen sciamus opera nostra, si digna imitatione sunt, nullatenus posse celari, sed ad utilitatem fraterna correptionis, ipso dispensante, pateferi, qui dicit: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Dat nobis Dominus suo facto documentum, vt opera nostra abscondamus, ne illa faciamus ea intentione, vt gloriam hominum quærentes à retributione æternæ mercedis exulemus. Si autem necesse fuerit ad Dei gloriam, & proximorum ædificationem, vt manifestentur, tunc ipso dispensante patefient, qui dicit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, Matth. 5. num. 16. Vide quæ dixi tom. 2. cap. 11. quæst. 21.

89. Tertiò Theophylactus, Docetur hoc loco, ait, quod quando benefacturi sumus, ne plausus, vel celebritates ex beneficijs queramus: quum autem beneficia accepimus, vt benefactores, licet ipsi recusent, laudemus, & predicemus. Christus beneficium mandat taceri; homines verò magnis vocibus acclamant, & laudant: nam sicut hominis mirificè benefici est, suum concessum munus velle occultare; ita proprium animi grati, donum acceptum extollere, publicare, ac applaudere.

90. Quartò Victor Antiochenus, Præcepit, ne cui dicerent: Vt rem tacitam, ait, apud se contineant, grauius iniungit. Fecit hoc ea de causa, vt Iudæorum animos, in eadem accensos, ante tempus contra se inflammaret, & concitaret, etiamsi certo sciret, eos opus vsque adeo admirabile, & inusitatum minimè tacituros, sed passim inuulgaturos. Tantopere miraculi silentium commendat, adhortans nos, vt nostra illustria opera, ac facta aliquando ne diuulgemus, sed taceamus, vt inimicorum nostrorum iram, ac inuidiam non excitemus, hoc enim multis est periculis expositum. Ac etiam quod ante tempus nil operandum, sed omnia ad conueniens, & proportionatum remittendum. Et ideo ne à Iudæis ex inuidia ante tempus ei mors infligeretur, miraculi silentium præcipit.

91. Quintò D. Augustinus lib. 4. de consensu Evangelistar. cap. 4. præclare sic addubitat. Si autem Iesus sciebat (sicut ille, qui nos habebat & presentes, & futuras hominum voluntates) tanto magis prædi-

Ad opus virtutis sac est, id fieri, quod in nobis est.

Opera nostra occultanda, Deus ad gloriam suam manifestabit.

Animi benefici est, occultare beneficium, & grati publicare.

Inimicorum inuidia declinanda.

caturos, quanto magis ne predicarent, eis præcipiebat, vt quid hoc præcipiebat? Multum ponderandum, quòd tantis Dominus taciturnitatem in hoc opere intendat: seorsum à turba mutum sanas; circumstantibus silentium commendat. Præfenti dubio ex Beda respondet Maldonatus. Videtur non seorsum Christum prohibuisse, ne quid dicerent, sed potius vt magis ad dicendum incitaret. Idem innuunt D. Augustinus citatus, & Haymon in præfenti. Disponebat Christi sapientia, vt hoc præclarum miraculum ad sui Patris gloriam publicaretur; ideo non patenter mutum, & surdum sanas, sed apprehendit eum seorsum à turba, àstantibusque præcepit, ne cui dicerent. Ad quid? Vt magis ad dicendum incitaret. Quæ enim in secreto creduntur, maximè homines euulgare appetunt, de ipsisque occultis garrere super modum affectant; ac ipsum secretum veluti publicandi lenocinium est, vehemensque referandi stimulus, multumque ad publicandum humanum cor subornat, vt veluti ad promulgationem magnum artificium sit ipsa fides sub secreto commissa. Hominem ergo seorsum curat, taciturnitatemque inspectantibus indicit, vt ad propalandum humana voluntas alliceatur.

Ait Ecclesiastes 10. num. 20. In cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledicus diuiti: quia aues cali portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit sententiam. Magnum nobis præbet documentum, ne calumniant contra regem, vel diuitem in intimo secreto proferamus; nam illud valde festinanter, ac celeritè ad aures regis perueniet. Hoc denotat apposita sententia. Aues cali portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit. Quod explicans Lyranus inquit: Quicumque relator verborum velox ad talia referendum. Sed si in tam profundo secreto est dictum: In secreto cubiculi tui; quomodo tanta festinatione, ac volatu pertransit ad regem? Ipsum secretum publicationis est subornatio, referandique fomes, vt quanto magis sub occulto est prolatum, tanto magis habeat euulgationis arbitrium, ac propalationis ingenium. Nota, quòd non recommendat Ecclesiastes, ne de rege in publico malum dicas, sed, In cogitatione tua, in secreto cubiculi tuo. Quæ enim sub sigillo profertur, in maius veniunt euulgationis discrimen, quam illa, que absque aliqua clausula astruuntur: nam quæ publica sunt, vt pote vulgaria, sæpe homines dicere contemnunt, de occultis verò garrere, eis libido maximè inest, cum rem nouam, & inauditam annuntiantes, quam multum gratum fore sperent.

In diebus illis, postquam creauerat Moyses, egressus est ad fratres suos: viditque afflictionem eorum, & virum Egyptium percipientem quendam de Hebræis fratribus suis: cuius circumspexisset huc, atque illuc; & nullum adesse vidisset, percussum Egyptium abscondit fabulo, Exod. 2. num. 11. & 12. Quæ nuntiata sunt Pharaoni. Audiuitque Pharaon hunc sermonem, ibidem num. 15. Ex quibus tam Pharaon, quam aulici suspectum habuerunt Moysen erga populum Hebræum, vt testatur Philo lib. 1. de Moyse. Nati purpurati suspectum habentes inuenem, & c. Solum Pharaon, ac aulici Egyptium necatum audiunt, vt suspectum habeant Moysen, cum tamen ipse Moyses, vt testatur Philo lib. citato. Hebræos oppressos verbis, quantum poterat, subleuabat, præfatos admonens, vt modestiam tenerent, laxarentque, nimiam in vrgendo duritiem: operarios verò vt presentem statum ferrent fortiter, sicut viros docet, neque animis desicerent, & sperarent mutationem

Beda. Maldon. August. Haymon.

Qui secretum commendat, publicatione subornat.

92. Eccl. 10.

Lyran.

Secretum referendū fomes alius ad dicendum sèpe inuoluitur.

93. Exod. 2.

Philo.

Basil. In melius. Idem tradit D. Basilius homil. 1. in Hexamer. Cur hæ visitationes, consolationesque Moysis in Hebræos, obiurgationesque in præfectos non dicuntur auditæ in aula Pharaonis, vt mors illa Egyptij? Nam accessus illi frequenter fiebant; mors verò extitit occasionalis, & ex quadam generositate Principis accidere poterat: Accessus illi ad Hebræos, & obiurgationes in operum magistratus patenter fiebant: mors verò Egyptij sub secreto cautela perpetrata est. Circumspexit huc, atque illuc, & cum nullum adesse vidisset. Sic sæpe accidit, vt celerius volitent, quæ sub secreto videntur clausa, quam illa, quæ sub nulla custodia habentur. Cautela circumspeditionis Moysis veluti quoddam fomentum fuit, vt alij attenderent, ac viderent, atque factum ipsum ad regem deferrent; multum enim frequenter ipsa occultatio promulgationem procurat, & propalationi auxiliatur, delationemque subornat.

Marc. 7. n. 36. Et eò amplius admirabantur dicentes: Bene omnia fecit; & surdos fecit audire, & mutos loqui.

VERSIONES.

Syriacus. Magisque obtupesteabant dicentes: Omnia bene facit; surdos facit, vt audiant; & non loquentes, vt loquantur.

Ariat. Suprà modum percellabantur dicentes: Pulchrè. Hebraic. apud Beneficè omnia fecit.

Cornelium. Et surdos facere solet audire. Maldonatus Et surdos facere solet audire. Caietanus ex Et elingues, seu non potentes loqui, facit loqui.

EXPOSITIO VII.

Teo amplius admirabantur, seu percellabantur, ac obtupesteabant omnes, non solum qui infirmum adduxerant, sed etiam omnes astantes; nam licet multa præclara miracula ex Christi fama percepissent, hoc tamen suis oculis viderant: & multo magis nos mouent, ac in admirationem rapiunt ea, quæ vidimus, quam illa, quæ ex aliorum relatu accipimus. Stabantque omnes attoniti, non solum ex miraculi magnitudine, sed etiam ex virtutis Christi eximia celsitudine, qui cum talia præstitisset, non solum nil præmij exigebat, sed etiam omnem humanam gloriam, ac applausum vitare cupiebat. Bene omnia fecit. Paulsa acclamatio est istorum hominum; omnia admittantur, ac comprobantur à Christo gesta, astuentiumque nihil in eo esse, quod reprehensionem, qualem fingunt Pharisæi, promeretur; quidquid enim operatur, bonum est, ac maxime hominibus beneficium. Sic legit Hebræus benefice. Græcus habet non præteritum, sed præsens. Bene omnia facit. Animus gratus semper beneficia sibi collata habet in præfenti, ac in intuitu, vt ea recogitet, & consideret.

Hebræus. Græcus semper beneficium habet in præfenti.

Surdos fecit audire, & mutos loqui. Balbum hunc inter mutos annuerant, vt obseruat Lucas Burgensis, parum enim discrimina est, præcipue cum hic valde insigniter balbuties laborasset. Et dicunt pluraliter surdos, & mutos, quia Dominus Iesus hic non solum hunc balbum, sed etiam multos alios mutos, surdos, ac cæcos sanauit, vt testatur D. Mattheus 15. num. 30.

QUESTIO XII.

Quare omnes, qui aderant, admirantur; & nullus est, qui contradicat?

LAMANT vniuersi: Bene omnia fecit. Omnia enim, quæ Christi erant, eximia, & valde præclara consistebant. Mandat Deus Moysi: Arcam de lignis Sitim compingite, & deaurabis eam auro mundissimo intus, & foris, Exod. 26. num. 9. Intus inandatur deaurari; nam in ea erant recludendæ legis tabulæ, ac Mana vna: ob tantarum rerum venerationem, conueniens erat, vt interiora auris laminis tegerentur. Ad quid etiam ipsa deauratio foris in Arca debebat apparere? Arca federis typum gerebat Christi Domini, vt docent Beda lib. de Tabernacul. cap. 3. Bruno in Allegor. apud Tilm. Merito ergo Arca illa tam intus, quam foris auro mundissimo deauratur; quidquid enim in Christo erat, siue intus, siue foris apparet in opere, & actione totum eximium, excellentissimum, ac aureum erat. Sic allegorizat noher D. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioan. cap. 28. Auro, ait, puro, intra & extra fuit Arca deaurata: quia pretiosa, & regalia omnia in ipso, scilicet Christo, sunt: non solum quæ Deitati; verum etiam, quæ humanitati eius attribuantur. In omnibus enim prius est, ait Paulus ad Colloffen. 1. Et aurum honoris, atque præstantia loco super omnes accipitur.

Ad quæstionem. Admirabantur vniuersi, qui aderant, laudant, & glorificant dicentes: Bene omnia fecit. Sic omnes magno clamore celebrant. Fortè extabant omnes, tanquam de turba, pij, & probi; & si aliquis iniquus aderat, tacebat, & non audebat aliquid in contrarium proferte. Videbunt recti, & letabuntur, & omnis iniquitas opilabit os suum, Psal. 106. num. 42. D. Hieronymus, Iniquitas contrahet os suum. Alij, Obstruet, et laudet. Recti, hoc est, pij, & iusti, vt interpretantur D. Remigius, Arnobus, & alij. Pij vident, & lætantur, iniqui tacent. Probi, cum multa polleant virtute, multaque donis fulgeant, in aliorum bono exultant, & lætantur. At iniqui cum sint omni decore expositi, in aliorum gloria obmutescunt, & nec vnum verbum proferunt. Brunonius: Videbunt recti, qui sunt conuersi predicatione, & omnis iniquitas, id est, Heretici, contumescunt.

Secundò. Omnes glorificant, & nullus est, qui contradicat. Pergit Brunonius citatus. Iniquitas opilabit os suum, quando Electis Domini non erit, quid possit opponi. Non erat, quid posset opponi: tum ob magnitudinem miraculi, quòd à Domino erat perpetratum, tum ob sinceram animositatem, quæ contempit Pharisæorum odio cuncta laudabant, ac glorificabant: quæ enim generose sunt, nullus eis repugnare audeat. Cum Bethleem esset cincta statione Philistinorum, desiderauit David aquam de cisterna Bethleem. Irruperunt ergo

96. Exod. 25.

Beda. Bruno. Omnia, quod est in Christo, auro est.

Cytil. Alex.

Ad Goloss. 1.

97. Psal. 106.

Hieron. Remig. Arnob. Egregia facta laudant boni, obmutescunt verò mali.

Brunonius.

98. Brunonius.

2. Reg. 23.